



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

II. De Pensionibus Ecclesiasticis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

gaatione, ac confidentia lege plura apud *Castrum Palao, & Villincium.*

CAPVT II.

De Pensionibus Ecclesiasticis.

17. *Quid Pensio?* Aliquando certam fructuum portionem ex Beneficio detractam, & alteri soluendam, aliquando ius ipsum ad illam portionem significat.

18. *Quotuplex?* In Clericalem & laicalem communiter dividitur; hæc propter officium seruitij alicuius corporalis Ecclesie exhibiti, vel exhibendi conceditur: illa ad sustentationem status Clericalis assignatur.

19. *Ecclesia Pensiones à quonam imponi possunt?* Iure communi ea potestas penes solum Pontificem summum est. Iure tamen antiquo in aliquot casibus Episcopis aliquid licet. Possunt namque hi Pensiones imponere, 1. Pro concordatione litis, & bono pacis. 2. Pro egenis. 3. Pro benemeritis. 4. Ad usum pium. 5. Pro renunciantè causa alimentorum. 6. In quantitate moderata. 7. Pro sustentatione Beneficium constituentis. 8. Ad coequandos fructus in permutatione. Requiritur tamen semper eum tale quid sit causæ expressio. Legatus quidem à latere idem in sua prouincia potest.

20. *Quinam personis incapaces?* In primis quidem incapaces sunt quicumque inhabiles ad statum Clericalem, vel absolute vt foeminae: vel durante impedimento, vt infantes, infideles, &c. Item inhabiles ad officium recitandum. Profectò impetrans pensionem à sciente irregularitatem, vel aliud impedimentum, validè obtinet, quamuis illicitè: intellige si conferens sit inferior Papa, aut in illo impedimento dispensare nequeat.

21. *Potest ne conferri pensio laico volenti Clericum suscipere?* Potest, fructibus tamen non gaudebit priusquam Clericus factus sit.

22. *Dari ne potest pensio excommunicato?* Laicalis quidem potest. Pontifex sciens alicuius impedimentum, confert pensionem. Eo ipso censetur dispensare.

23. *Assigna causas pensionis constituendæ, & conferendæ?* Ad duo capita reuocantur, lucri nimirum, & oneris; vnde pensionum aliæ dicuntur ex causa lucratiua, aliæ ex causa onerosa. Ex causa lucratiua sunt quæcunque ad purum commodum

modum pensionarij, nullo precedente incommodo subleuando, conferuntur. Ex causa autem onerosa, cum pensionarius aliquod incommodum passus est, à quo collata Pensione releuatur.

34. *Quanam sunt causa lucratina?* Prima alimentorum; secunda commodioris sustentationis.

35. *Causa onerosa quanam?* Prima cessatio litis pro bono pacis. 2. Transactio. 3. Resignatio. 4. Priuatio, cum quis scilicet priuatus Beneficio, non habet unde uiuat.

36. *Quibus Beneficiis, & quonammodo Pensio possit imponi?* Papa omnibus potest imponere. Verat Tridentinum imponi Parochiali centum ducatos non excedenti, idem est de Beneficio simplici adiuncta Dignitate. Nec grauandus Episcopus, cuius proventus mille aureos non attingit. Beneficio simplici quandoque apponi solet Pensio non excedens medietatem, aut tertiam partem, cuiuscunque valoris sit Beneficium. Imò etiam in quotidianis distributionibus locum habet, si id apposita clausula exprimat. Equidem antiquo iure omnia Beneficia Pensionem admittebant.

37. *Indica Pensionarij obligationes.* Scio non deberi Pensionem, si absque culpa fructus non percipiuntur: debetur tamen si percipiuntur, etiam si inualidè facta sit resignatio: tenetur etiam si accepit Beneficium cum illa clausula, vt Pensionem soluat, etiam si fructus non percipiuntur. Pensio à Papa imposta etiam sine causa, exigì potest. Porò causa, propter quam Pensio datur, falsa existente, non potest pensionarius eam accipere. Tenetur Pensionarius ad officium paruum B. Virginis, cuius omissione fructus non facit suos. Tenetur ad onera soluenda fructibus Beneficij postmodum legitimè imposta, idque pro rata Pensionis, nisi hæc exempta sit. Tenetur denique gestare habitum, si Pensionem sexaginta aureos superantem exigit. Aliàs ad fructuum perceptorum restitutionem obligatur.

percipiat

38. *Quotnam modis cessat Pensio?* Sex. Primò expiratione per mortem pensionarij. 2. Priuatione per crimen. 3. Cessatione per voluntatem. 4. Translatione per sui iuris in alium derivationem. 5. Extinctione per redemptionem. 6. Per matrimonium. Porò redimitur communiter Pensio anticipata quinque annorum solutione, consensu Pontificis interueniente.

39. *Quanam crimina in materia Pensionis committi possunt?* Titularis peccat contra iusticiam vel non soluendo, vel non suo tempore, Peccat contra eandem virtutem pensionarius, si

si exigat sine iusto titulo, si non verificata causa, vel conditione narrata, idque in titularis præiudicium. Peccat contra æquitatem pensionarius, si beneficiario omnino grauato, integram petat pensionem. In eadem materia locum habet Simonia iure Ecclesiastico prohibita, ea tamen pœnas cum Simonia beneficiaria communes non habet.

CAPVT III.

De rerum Ecclesiasticarum Alienatione.

40. **Q**uid est Alienatio? Actus, quo dominium rei directum, vel vtile, aut vsusfructus, aut ius in alterum transfertur, vel abdicatur. Verita quidem huiusmodi alienatio iure naturali diuino annexo iuramento, si loquamur de Summo Pontifice & Cardinalibus respectu bonorum Sedis Apostolicæ; aut de Episcopis & Prælati respectu bonorum suæ Ecclesiæ: verita iure Cæsareo, & iure Canonico, nisi alienatio fiat ex iusta causa & cum debita solemnitate, aut ad breue tempus locationis, vel in causa Emphyteusis in casibus à iure permissis, vel nisi alienatio fiat de re leuis momenti, aut rerum, quæ seruando seruari non possunt: aut nisi fiat de bona fide; aut nondum perfecta sit alienatio, & ab eo qui bonorum habet administrationem.

41. **Q**uanam igitur Ecclesia bona alienari possunt, & quanam alienari non possunt? Bona immobilia, & mobilia pretiosa quæ seruando seruari possunt alienari prohibentur. Bona vero mobilia & pretiosa, quæ seruando seruari non possunt ab Episcopo, aut administratore, possunt vendi sine alia solemnitate. Vnde etsi valida alienatio vini, frumenti, olei, ouium, &c. facta sine solemnitate: inualida tamen prorsus venditio domorum, agrorum, montium, censuum, argenteæ lampadis, &c.

42. **A**ssigna causas ob quas alienatio rerum huiusmodi licite & valide fieri possit. Quatuor à Doctoribus collegi, necessitatem urgentem, pietatem, vtilitatem euentem Ecclesiæ, & quando prælatus credit legitimam subesse causam, licet postea legitimam non fuisse comperiat.

43. **S**olemnitates requisitas ad alienationem bonorum mensæ Episcopalis, aut Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiata præter istam causam annexæ. Adsit vnus tractatus saltem, id est discussio, quæ sit allatis rationibus vltro citroque, num expediat huiusmodi